



MAtheus natus est in Sueuia anno 1495. Is cū
præclara indole uteretur, à teneris annis o-
peram literis dedit, atq; studio Theologico dil-
genter incubuit. Itaq; cum magnam sibi eruditio-
nem comparasset, S. Theologiæ Doctor creatus
fuit. Cum autem renascētis Euangelij tempus ad-
uentaret, Matheus eandem doctrinam approba-
uit, & publicè docere Reütlingæ in oppido Impe-
riali cœpit, idquæ iuxta Biblica scripta purissimè.
Vnde cum bellum rusticanum instaret, ipse Esclin-
gam ad proceres Imperij et Cæsaris commissarios
uocatus, & eò quadringentis ciuibus Reütlingen-
sibus deductus fuit. Ibi de 68 articulis obiectis re-

spondit, atq; totius suę doctrinæ rationem reddidit, spiritu Domini suggeren-
te os & sapientiam. Nam suam doctrinam adeò uerbi diuini testimonijs ani-
mosè confirmauit, ut partim admirarentur, partim eam amplecterentur. Po-
stea Reütlingam redijt, & per 29 annos in ea urbe constanter Christum prædi-
cauit. Cum autem post Cæsaris uictoriam 1548 religio passim mutaretur, ipse
Studgardiam uocatus, eius Ecclesiæ præco, atq; principis in rebus ecclesiasti-
cis consiliarius constitutus est. In ea functione per 14 annos piè perseuerauit,
& omnibus gratisissimus extitit. Tandem rude donatus, & anno 1563 in mona-
sterio (iuxta Euangelij doctrinam reformato) Blaubürensi Vuirtenbergicę di-
tionis Abbas & pater præficitur.